UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Bartolvs A Saxo Ferrato in primam Digesti Veteris Partem

Bartolus

Lugduni, 1567

Condictione ex lege.

urn:nbn:de:hbz:466:1-96393

Visual Library

1
* PArui. a Oblatione ⁊ nouatione purgatur mo-
a ra † furis. h. d. * Sane intellige, ꝙ obla-
tio rei furate liberat furem, quãtum ad rei interitũ,
vt hic, non autem a pena furti, vt q2 a tali pena nemo
ex penitentia deſinit eſſe fur. j. de edili. edic. l. qs ſit fugitiuus.
Et l. q ea mẽte. j. de furt. * ¶ Oppo. de lege qui decem. in princ.
de ſol. Sol. dico qꝫ quantum ad purgandum moram nil differt
inter oblationem ⁊ nouationem, ſed quantum ad liberationem
inducendam differt, vt hic nota. in prima glo. ¶ Opponi. quod
quis non poſſit rem ſuam ſtipulari a fure, vt l. nemo rem ſuam.
de verb. obliga. Solu. dicit gloſſ. quod hic fuit ſtipulatus rem
ſuam ſibi reſtitui, nõ ſibi dari, vt lege, ſcire debemus. infra de v.
2 obligatio. Alij dicunt, ꝙ ſicut † quis a fure poteſt condicere rẽ
ſuam. §. ſic itaqꝫ. Inſti. de actio. ita poteſt ab eo ſtipulari ſibi da
ri, ⁊ hoc modo intelligũt d. l. ſcire debemus. dic vt ibi. ¶ Opp.
b ꝙ ſit differẽtia, vtrum ſit res preſens vel abſens b vt l. qui decẽ.
§. idem reſponſum. de ſol. Sol. dicit glo. notabiliter, hic ſtipula
tio fuit interpoſita animo nouandi, quo caſu non refert, an res
ſit preſens, vel abſens, ibi fuit interpoſita non animo nouandi,
quo caſu refert an quis ſit preſens vel abſens, qꝫ ſatis placet.
3 Tamen iſta † materia qualiter per ſtipulationem purgetur mo
ra precedens, eſt multum difficilis, quã dic plene vt l. ſi rẽ j. de
noua. tangitur plene in l. eum qui. §. ſi de ver. obli.

ADDITIONES.

a ALEX. ¶ Parui. Hanc l. allegat Bar. in l. j. C. quod met. cau.
b ALEX. ¶ Vel abſens. Vide per Ang. in repe. l. j. C. de iudi.

LEX XVIII.

1 ☞ Creditor falſus accipiendo ſcienter indebitum quando fa-
ciat furtum.

a QUoniam. a Falſus creditor accipiẽdo ſciẽ
ter indebitum, furtum facit, ⁊ cõ
* dictione furtiua ſoluẽti tenetur. hoc dicit. * Vide, ꝙ
creditor falſus committit furtum. Sed quero, an ma
nifeſtum, vel non manifeſtum? Quidam dicunt, ꝙ manifeſtum:
cum videatur, quando pecunia traditur iuxta illa, que no. s. eo.
l. ſiue manifeſtus. circa prin. Tu tamen dic, ꝙ committit furtum
non manifeſtum, quia licet videatur committi, quando pecunia
traditur, non tamẽ vr vt fur. quod requiritur vt eſt expreſſum.
* C. de furt. l. falſus procurator. * ¶ Oppo. ſi ſit furtum, ergo nõ
transfertur dominium, ⁊ ſic ceſſat condictio indebiti, quia ne-
mo condicit rem ſuam, ⁊c. vt ſupra, vſufruct. quemadmo. ca. l. vl-
tima. Merito ergo per hanc legem totus ille titulus de condi
ctione indebi. videtur deſtrui. Huius timore ſunt multe ſolu-
tiones. finaliter glo. intelligit hic, quando quis labitur in per-
b ſona b ⁊ ſic in ſubſtantia perſone. Idem no. in lege, falſus. de fur.
ſed Dy. in dicta lege, falſus. dicit qꝫ hoc non eſt neceſſe, quia po
ſito quod non transferatur dominium, habet tamen locum con-
dictio, quia omnis condictio degenerat contra furem. ¶ Ego
1 † in dicta lege, falſus. dicebam ſic diſtinguendo, quandoque fal-
ſus creditor ſimulat ſe creditorem, ⁊ inducit debitorem ad ſol-
uendum ſibi, ⁊ tunc cõmittit furtum. Videtur enim ſoluere ſub
ea conditione ſi creditor eſt. Ita intelligatur dicta lex, falſus. ⁊
hic, vbi tex. ſonat hoc. Quandoque debitor ſua ſponte vadit ad
ſoluendum, illo nihil faciente, niſi recipiente pecuniam, ⁊ tunc
non ſit furtum ⁊ dominium transfertur, vt in toto titu. de con-
dictione indebiti. Ratio, q2 debitor habebat pro conſtanti qꝫ
eſſet creditor, ⁊ ſic illa conditio, ſi creditor eſt. non inerat. Nec
poteſt dici illud, quod dicebam in l. ſi procuratori falſo. in vlti-
ma gl. s. de condic. cauſa data. videlicet quod in ipſo actu tradi
tionis committatur furtum, licet poſtea immediate res inci-
piat eſſe creditoris. Nam, vt hic dicit tex. illud furtum parit cõ
dictionem furtiuam, ſed poſtea, trãslato dominio, cõdictio fur
tiua extinguitur, quia volũtate actoris transfertur, vt lege, ſiue
manifeſtus. §. fina. lege, ſi ſeruus. in prin. s. eo. ſ3 impoſſibile eſt
quod eodem momento condictio furtiua oriatur ⁊ deſinat, lege,
Titio cum morietur. s. de vſufr. ergo, ⁊c. Alia que hic tangunt
in glo. ſunt clara.

ADDITIONES.

a ALEX. ¶ Quoniam. Et ſi vis habere intellectũ huius litere in
fi. vide q no. Bar. in l. ſi vẽdidero. §. fi. d fur. ¶ IO. FRAN. RVE.
Adde Pau. d Caſt. in l. q fundũ. §. ſeruus meus. circa fi. j. p em-
pto. vbi ponderat illum tex. contra hanc diſtinctionem Bar.
b ALEX. ¶ In perſona. Iſtis adde bonum tex. cum ibi nota. in l.
ſeruus cuiuſdam. s. de condi. indebi.

LEX XIX.

IUlianus. Hec condictio datur cum adiectio-
ne de peculio. hoc dicit.

LEX XX.

a LIcet. a Fur ſemper eſt in mora: ideo ad eum ſem-
per ſpectat periculum interitus, hoc dicit.
* * Vel ſic, Non ſufficit ad purgationem more, ſi reus velit iudi-
cium ſuſcipere, niſi ſit iuſta cauſa litigandi. hoc dicit tex. cũ glo.
* ſecundum Iac. Butrig. * Not. quod licet quis ſit paratus ſuſci
pere iudicium, per hoc moram non purgabat.

ADDITIO.

a ALEX. ¶ Licet. Adde l. nemo rem ſuam. ⁊ que ibi no. §. fi. de
verb. obli.

De condictione ex lege. Rubrica ii.

¶ Continua rubricam, vt in glo.

LEX VNICA

1 ☞ Lex j. j. eo. habet locum etiam in legibus antiquis.
2 Lex ſemper loquitur.
3 Agendi ius ex legis diſpoſitione quando oriatur.
4 Lex quãdo permittit, an ei, cui permittitur, oriatur ex tali p-
miſſione aliquod ius.
5 Legis aliquid vetantis ad commodum alicuius ex diſpoſitiõe
ei tunc oritur exceptio, ⁊ quando actio.
6 Agendi ius quando ex lege cõpetit, vtrum ſit actio vel officium
iudicis.
7 Diſpoſitione legis quando oritur actio, vtrum ſit condictiõ ex
lege, an alia actio.
8 Emphyteutico ex 3ctu orit actio ſpecialis ex emphyteuſi.
9 Literarum ex obligatione non agitur cõdictione ex lege, ſed a-
ctione ex literis.
10 Lex vel conſuetudo vbicunqꝫ induceret nouum contractũ, ex
tali contractu oritur actio, ⁊ non condictio ex lege.
11 Actio criminalis quando ex lege inducitur, non dicitur condi-
ctio ex lege, ſed accuſatio ex lege.
12 Lex obligationem inductam qñ declarat, que actio oritur.
13 Lex ſi confirmat obligationem inductam, an ex ea oriatur cõdi-
ctio ex lege.
14 Condictio ex lege, concurrit cum alia.

a SI obligatio. a Quando per legem
ciuilem inducit obli-
gatio immediate, nec exprimitur actio, condi-
* ctione ex lege agitur. hoc dicit. * Vides hic ꝙ
condictio ex lege eſt ſubſidiaria, vt hic, q2 com-
petit, vbi alia actio locum non habet. Itẽ actio
in factũ eſt ſubſidiaria: ⁊ ſilr cõpetit, vbi alia actio locum nõ hꝫ,
vt l. quoties. ⁊ l. q2 actionũ. de pſcrip. ver. Item actio de dolo eſt
ſimiliter ſubſidiaria. Et in quibus caſib. quelibet iſtarum ha-
beat locum vide in l. ex placito. C. de rerum permuta. Tu iuue-
nis, ſcias ꝙ iſta lex eſt multum ſubtilis, ⁊ profunda, ideo ne mi-
reris, ſi nõ intelligas. Nec pro certo dicta doctorꝫ bñ declarãt.
* Sed cum Dei adiutorio ego vobis declarabo. * Et antequam
vlterius procedam, quero exempla huius legis. gl. ponit que-
dam exempla de iure antiquo Digeſtorum, vt l. ſi poſtulauerit.
§. fin. de adulte. ¶ Contra iſtam lectu. opponitur quia text. hic
dicit ex lege noua, ſed illa eſt lex, vetus, ergo non eſt bonum
exemplum. Huius timore quidam legunt hic hoc modo, ſi obli-
gatio noua introducta eſt lege, ſcilicet veteri. vel noua, ⁊ ſic illud
verbum, noua, determinat illud verbũ, obligatio. ⁊ hec eſt ſatis
bona. Alij dicunt, quod etiam lex, ſi poſtulauerit, eſt noua: om-
nis enim lex poſt legem duodecim tabularum poteſt dici noua.
Certe qualiter dicatur lex noua, non curo hic examinare, exami
natur plene infra de regu. Cato. lege fin. per glo. ⁊ Iac. de Are.
1 Sed verum eſt indubitanter quod hec lex habet locum † etiam
in legibus antiquis, ⁊ etiam in nouis. De antiquis inducit exẽ
plum in dicta lege, ſi poſtulauerit. §. fin. et lege, extat. ff. qꝫ me-
tus cauſa. ⁊ lege fina. s. de rei vendi. ſecundum illam lectu. et in
multis alijs legibus. Alij ponunt exemplum in legibus nouis.
C. de don. lege, ſi quis argentum. ⁊ C. de ſuffr. l. vnica. ⁊ de peti-
tio. heredita. l. fin. de iure deli. l. ſcimus. §. ſcientia. ⁊ C. vnde vi.
lege ſi quis in tantam. Iſta ſunt iura per gloſ. hic allega. tamen
ſunt in C. multe alie leges, videlicet de ſacroſan. eccle. lege, iube
mus. de ſac. paga. lege Chriſtianis. quod metus cau. lege, ſi per
impreſſionem. de arbi. l. ne in arbitris. de fideiuſſ. l. prima, ſi per
vim de alio modo. l. prima. C. vnde vi. l. meminerint. ⁊ l. momen-
tarie. ⁊ l. non ab re. ⁊ C. loca. l. ſi quis conductionis. de litigio. l.
penulti. ⁊ fin. ⁊ multe alie leges, quas inuenire laborioſum eſſet
potius quam ſubtile. in authen. ſunt etiam multe alie. ⁊ authẽ.
iubemus. C. de epiſco. ⁊ cleri. ne filius pro patre. authen. habita.
⁊ ne vxor pro mari. authen. ſed omnino. ⁊ quomodo ⁊ quãdo. in
authẽ. qui ſemel. ⁊ qui potio. in pigno. habe. authen. idem poſ-
ſeſſor. ⁊ multe alie. Poſſumus etiam ponere exemplum in ſtatu
tis ciuitatis, ⁊ conſtitutionibus regum, ⁊ principum. Sed con-
tra hoc opponitur quomodo potuit lex antiqua cogitare de fu
turis legibus, contra l. iubemus. in fi. C. de teſtamen. Reſpon-
deo, non

deo, non potuit cogitare ſpecialiter, ſed generaliter ſic, ſicut pa-
ter poteſt cogitare de filijs ſibi naſcituris inſtituendo eos vel
exheredādo, vt lege Gallus, per totam legē de liberis ⁊ poſthu-
mis. ⁊ de teſtamen. milita. lege qui iure militari. ⁊c. Item oppo.
quia hoc videtur contra hanc legem, que dicit, ſi obligatio lege
noua introducta eſt, quod eſt temporis preſentis, ergo non re-
b fertur ad obligatiōes introductas poſtea,[b] vt lege, ſi ita. de au-
ro ⁊ argento lega. Huius timore dicit gloſ. expone hic, eſt, id eſt
erit. Gloſſa iſta habuit bonum intellectum non tamē eſt neceſſa-
2 ria expoſitio ſua. Nam debes ſcire, † quod lex ſemper loquitur,
⁊ ſemper eſt in viridi obſeruantia, vt lege Arriani. C. de hereti.
probatur in omnibus legibus incipiētibus, hodie ⁊ cetera. ⁊ in
authenticis dum dicunt, ſed hodie hoc iure vtimur, vt C. de ap-
pellatio. authen. hodie. Nam illud, hodie, intelligitur, ſcilicet de
illo die quo illa lex vel authen. legitur. ita hic lex dicit, ſi obliga-
tio lege noua introducta eſt, ſufficit quod ſit in preſenti eadē die
qua hec lex legitur, quoniā ſemper loquitur. Nō obſt lex, ſi ita.
de auro ⁊ argento legato. quia ibi loquitur in teſtatore, qui ſe-
mel tantum loquitur.

Expediti ſumus de apparatu legis noſtre videamus
ergo materiā huius legis. hic habem⁹ tria,
quod ex diſpoſitione legis, oritur ius agendi. Item quod iſtud
ius agendi eſt actio. Item ꝙ illa actio vocatur condictio ex le-
3 ge. Quero ergo poſt, ⁊ reuoco in dubiū, † vtrū ex diſpoſitione
c legis oriatur ius agendi?[c] Et videtur ꝙ ſic, vt hic. in contrariū
ī. ad leg. Falcid. l. j. in princ. ⁊ C. ne fideiuſſo. do. den. l. j. ⁊ ij. ⁊ de re-
bus eorum. l. j. Aduertite, ſcitis, quod legis virtus conſiſtit in
quatuor, imperare, permittere, vetare, ⁊ punire, vt ſupra de legi-
bus. l. legis virtus. Unde ſi quidem lex precipit imperando ſeu
precipiendo, ⁊ tunc aut precipit aliquid quod reſpicit commo-
dum tantum eius, cui precipitur, ⁊ tunc non oritur actio: niſi ſi-
cut infra dicam, de lege permittente: magis enim eſt permiſſio,
⁊ conſilium, quam preceptum, vt l. ſepe. de offic. preſi. Aut preci-
pit aliquid ad commodum alterius quam eius cui precipitur, ⁊
tunc oritur ius agendi. hoc probatur in omnibus interdictis re-
ſtitutorijs, vt C. de ſeruis fug. l. quicunqꝫ. ⁊ ſupra ad leg. Aquil.
l. ij. cum multis ſimi. Quandoqꝫ lex permittit, ⁊ hic aduerte, aut
permittit aliquid fiendum ab aliquo in ſe, vel in ſuo. ⁊ tunc non
oritur ius agendi, ſed efficit vt ille actus ſit validus, ⁊ impuni-
tus, vt in l. in re mandata. C. māda. ⁊ l. ſi cōſtante. §. ſi maritus. ſo-
luto matrimo. Aut permittit quod fiat aliquid in alieno, ⁊ ori-
tur ius agendi, vt l. venditor. §. ſi cōſtat. s. communia pred. ⁊ l. j.
in fine. ⁊ l. ij. ⁊ iij. in fin. infra de aqua plu. arcen. Quandoque lex
permittit fieri aliquid quod non ſit in loco, intellige vt loco co-
hereat, tunc aut illud venit tantum explicandum intra perſo-
nam facientis, ⁊ non oritur ius agendi. Exemplum in omnibus
legibus, que deferunt hereditates ex teſtamento, vel ab inteſta-
to. Nam non competit mihi ius agendi ad hoc vt habeam here-
ditatem, quoniam in me ipſo poſſum hoc expedire ſola volunta-
te, tamen hereditate adita poſſum poſtea agere petitione here-
ditatis. Si vero illud veniret explicandum cum alio, tunc aut
venit explicandum principaliter propter ſe, ⁊ cōpetit ius agen-
di, vt puta in caſibus, in quibus filius poteſt agere contra pa-
trem, vt eum emancipet. l. ſi lenones. C. de epiſ. audien. vel pater
contra filium vt patiatur ſe emancipari l. quidam cum filium. ⁊
ibi per docto. de verbo. obliga. Quandoque venit explicandum
propter aliud, ⁊ tunc ius agendi non competit, ſed ſufficit quod
ille, qui debet facere, impleat pro parte ſua, quantū poteſt. Hoc
probatur per omnes leges que dicunt de obligatione ⁊ cōſigna-
tione, vt l. acceptam. C. de vſur. ⁊ l. obſignatione. C. de ſolu. ⁊ l. in
re ciuili. de condi. ⁊ demonſt. Iuxta predicta quero in caſibus, in
quibus ius permittit aliquid, nō oritur ius agendi, vt ſupra di-
4 xi, an † ei, cui permittitur, dicatur competere aliquod ius ex illa
permiſſione, an vero ſit aliqua facultas facti? Pro cuius decla-
ratione debes ſcire, quod dicitur de vſufructu formali, ⁊ cauſali.
Nam vſuſfructus formalis eſt ius alienis rebus vtendi ⁊ fruen-
di, vt l. j. ſupra de vſufruc. vſuſfructus vero cauſalis nō eſt ius, ſꝫ
quedam facultas percipiendi fructus, quia eſt dominus, vt l. vti
frui in prin. ſupra ſi vſuſfru. pe. Nunc ad propoſitum, quandoqꝫ
d lex permittit[d] aliquid alicui facere pro conſeruatione iuris ſui
iam queſiti, ⁊ illud non eſt ius, ſed facultas quedam, vt d. l. in re
mandata. ⁊ d. §. ſi maritus. Quādoqꝫ permittit lex aliquid face-
re pro acquiſitione alicuius iuris de nouo, ⁊ tunc eſt ius, vt ius
e adeundi hereditatem.[e] Et hoc apparet ex eo quod ei preſcribi-
tur vt l. licet. C. de iure delib. Facultati autem que facti eſt, non
preſcribitur, quia leges que loquunt̄ de preſcriptione, vt l. ſicut.
⁊ l. cum notiſſimi. de preſcrip trigin. ann. loquuntur de preſcri-
ptione contra iura tantum, non cōtra facultates que facti ſunt,
⁊ ideo docto in illa queſtio. vtrum preſcribatur iuri offerendi,
reuoluunt, vtrum ius offerendi ſit ius, vel facultas. De quo di-
cam infra, de pigno. act. l. ſi rem. §. omnis. Quandoque lex vetat
5 † ⁊ tunc aut vetat aliquid ad commodum eius, vel heredis eius
cui vetatur, ⁊ orit̄ ius excipiendi, non agēdi, vt l. prima, in prin.
infra ad leg. Falcid. ⁊ C. ne fideiuſ. do. dentur. l. prima ⁊ ſecunda.
licet ſolutione facta per errorem, competeret cōdictio indebi: tñ
illa non oritur ex illa lege vetante, ⁊ inducente exceptionem, ſed
oritur ex quaſi contractu qui celebratur ſolutione, vt l. ſi in area.
ſupra de condi. indebi. Quandoqꝫ lex vetat aliquid ad commo-
dum alterius, quā cui vetatur, ⁊ tunc ſine dubio oritur ius agen-
di. Hoc probatur in omnibus interdictis prohibitorijs. C. ne li-
ceat poten. l. prima ⁊ ſecunda. C. nemini licere ſigna imponere.
cum multis ſimili. Et predicta diſtinctio procedit, quando lex
prohibet factum. Si vero prohiberet expreſſe ius agēdi, vt pu-
ta ne actio petitione detur, ⁊ tunc eſſet indubitabile quod ſolum
parat̄ exceptio. l. ij. §. primo, ad Velleia. ⁊ ad Maced. l. j. ¶ Sed
f contra hoc oppo.[f] vbicunqꝫ lex dat ius excipiendi, ibi reo com-
petit ius agendi, per officium iudicis, vt l. Aurelius. §. Sticho.
de lib. leg. ⁊ l. ſi contendat. ⁊ ibi not. de fideiuſ. ⁊ l. iij. C. qui bon. ce-
de. poſ. Reſpon. illud ius agendi non oritur ex illa lege vetante,
ſed ex equitate iudicis, propter illam l. ⁊ l. iij. C. qui bo. ced. poſ.
⁊ ibi hoc tex. declarat. Quarto ⁊ vltimo lex procedit puniēdo, ⁊
tunc ſine dubio competit ius agendi, vt patet in omnibus legi-
bus punientibus maleficia. Secundo principaliter eſt viden-
g dum[g] eo caſu, quo competit ius agēdi † ex lege, vtrum ſit actio,
6 vel officium iudicis? Videtur caſus in l. quod ſi minor. in fin. ſu-
pra de mino. ⁊ ex quib⁹ cau. maio. l. j. ⁊ per totum, quod ſit iudi-
cis officium. Tu dicas quod quandoque verba legis diſponen-
tis referuntur ad partes, quandoqꝫ referuntur ad iudicem, quā-
doqꝫ imperſonaliter proferuntur. Primo caſu ſemper oritur
actio. Ita debet intelligi, ſupra ad leg. Aquil. l. ij. ⁊ de peti. here.
l. item veniūt. §. pridie. Et hoc apparet ex omnibus interdictis
pretorijs reſtitutorijs. Dicit enim, reſtitues, ⁊c. vt vnde vi. p to-
tum. ⁊ ne quid in loco publi. l. ij. cum ſimi. Quandoqꝫ referūtur
ad iudicem verba legis diſponentis, ⁊ tunc quandoqꝫ referūtur
ad iudicem affirmando, quandoqꝫ negādo. Si affirmando ſem-
h per competit iudicis[h] officium, vt s. de mino. l. prima, coniuncta
l. ꝙ ſi minor. in fi. ⁊ s. ex quibus cau. ma. l. prima in princi. ⁊ ſupra
quod metus cau. l. fina. §. primo ⁊ ſecūdo, ⁊ infra de colla. do. l. j.
in prin. ⁊ de ali. ⁊ cib. leg. l. iij. ⁊ ibi dixi. ⁊ C. d collat. l. ſi ſoror. ⁊ ibi
glo. que hoc dicit. Quandoque referuntur ad iudicem negatiue
tunc non producūt officium iudicis. Non enim aliquid commit-
i titur iudici directo,[i] ſed magis pariunt actionē ei, ad cuius vti-
litatem verba fuerunt prolata, vt ſupra, quod met. cau. l. prima.
vbi pretor dicit, quod met. cau. geſtum erit, ratum non habebo.
licet verba referantur ad iudicem, tamen quia referūtur priua-
tiue, non pariunt officium iudicis, ſed actionem parti, ad cuius
commodum priuatio illa inducitur. Et predicta diſtinctio locū
habet, quando verba legis diſponunt circa factum, puta aliquē
reddere vel reſtituere, ⁊ ſi. ſed quando directo diſponerent circa
ius agendi, ſine dubio producerent actionem. Hoc apparet ex
k omnibus edictis, que dicunt, iudicium[k] dabo. Licet enim ver-
ba referantur ad iudicem, tamen quia directo circa ius agendi
diſponunt, producunt actionem, vt ſupra de iuriſdictione o-
mniū iudicum. l. ſi quis id quod. ⁊ de his qui deie. vel effu. l. pri-
ma cum ſimili. Quandoque verba imperſonaliter proferuntur,
⁊ tunc competit ius agendi, vt in authenti. ſacramenta. C. ſi ad-
uer. ven. ⁊ ibi no. infra de acquirendo rerum domi. lege, ſtatuas.
l ⁊ de his qui deiec. vel effude. l. ſi vero. §. pretor.[l] verſic. ſi ſeruus
inſciente. cum ſimili. ⁊ idem intelligo in ſtatutis eadem ratione.
m Tertio principaliter eſt videndum,[m] eo caſu quo ex diſpoſitio-
7 ne legis oritur actio, vtrum † ſit condictio ex lege, an alia actio.
Iſta eſt multum intricata materia quam glo. noſtre poſuerunt.
in l. quoties. ī. de preſcrip. verb. ⁊ multum imperfecte Iac. Bal.
fecit de hoc magiſtraliter vnam ſuam additionem que incipit,
turbatus eſt, eorū ſpiritus, ⁊ mirantur tanquam ignari, ⁊c. Cyn.
recitando dicta Ultramontanorum examinat hoc in l. ex placi-
to. C. de rerum permuta. ⁊ ibi Ultramontani videntur velle lo-
qui ſubtiliter, tamen male declarant, nec veritatem ponūt. Ego
tradam vobis hanc materiam per eū modum quem intelligam.
Si quidem eſt cautū, quo nomine actionis agatur, ⁊ eo agitur, ⁊
hoc non habet dubium. Si vero non eſt cautū, ⁊ tunc quandoqꝫ
lex obligationem inducit, quandoqꝫ inductam declarat, quan-
doqꝫ inductam confirmat. Primo caſu, aut obligationem indu-
cit, immediate aut mediāte aliquo contractu, vel ſimili. Si im-
mediate, aut eſt lex pretoria, ⁊ habet locum actio in factum, vt l.
finali in principio. de eo per quem factum erit. ⁊ Inſtitu. de in-
terdict. in fine. Aut eſt lex ciuilis, ⁊ habet locum condictio ex le-
ge. hic eſt caſus in hac lege, ⁊ ita poſui tibi ī ſummario. Si vero
lex inducit obligationem mediante aliquo contractu, vel ſimili,
tunc in hoc ſunt opiniones, ſecundum diuerſas materias. Uer-

bi gratia, lex ciuilis inducit contractum emphyteuticum nec eſt
cautum quo nomine actionis agatur, vt l.j.C.de iure emphyte.
quo nomine tunc actionis agetur? Petr.de bella pertica dicit,
actione preſcri.verbis, quia illa lex reſpicit principia legis xij.
tabu. Iſtud eſt falſum, primo ſecundum opi.ipſorũ Vltramon-
tanorum, qui dicunt ꝙ actio preſcriptis verbis non oritur, niſi
ex contractibus innominatis, ſed cõtractus emphyteuticus eſt
nominatus, ergo, ⁊c.tamen opi.eorum eſt falſa, ideo non curo de
ea. Preterea iſtud eſt contra l.iiij.infra de preſcrip.verb.quan-
do contractus nullum habet nomen a iure ciuili, vnde alij di-
n cunt,[n] ⁊ hec eſt communis opin.ꝙ agatur condictione ex lege.l.
j.C.de iure emphy.ſed non placet, quia hec condictio habet locũ
qñ obligatio induciť ex lege, vt hic, ſʒ ibi nõ induciť ex lege, ſʒ ex
Sctu. Modus inducendi ex lege, ⁊ inducẽdi ex Sctu differunt in
ſpecie, vt l.obligamur.§.lege.⁊ ꝑ totã l.de actio.⁊ obl. Preterea,
regula eſt ꝙ quoties cõtrahimus lucri faciendi cauſa, oriť actio
ex contractu, vt l.actionum genera.§.ex contractu.de actio. et
oblig. Preterea dicitur in tex.Inſtit.de loca.§.adeo, ꝙ contra-
o ctus emphyteuſis[o] ſit ſpecies contractus ꝑ ſe, ſicut alij contra
ctus iuriſgentium, ſed cõtractus nominati iuriſgentiuʒ eo ipſo
ꝙ ſunt, actionem producunt.l.iuriſgentium. in princi. ſupra de
8 pact.ergo, ⁊c. Concludo † ergo, ꝙ ex cõtractu emphyteutico ori
tur quedam actio ſpecialis, que vocatur actio ex emphyteuſi, ⁊
ſic denominatur a cõtractu, ſicut actio ex empto, ⁊ locato, ⁊ ſimi
les. hic eſt tex.in dicta l.actionũ genera.§.ex cõtractu, ⁊c. Aliud
exemplum in obligatione literarum que actio oritur? Glo. In-
p ſtit.de lite.obliga.dicit[p] quod oritur cõdictio ex lege. Idem do-
cto.in l.in contractibus.C.de non nu.pecu. Ego dico contrariũ.
9 Nam ſcitis, † ꝙ verborum obligatio eſt inducta de iure ciuili, ſi
cut obligatio literarum. Item lex dicit, quod nõ minus obliga-
mur literis, quam verbis: nec eſt minoris efficacie vna, quã alia,
vt l.non figura.de actio.⁊ oblig.infra, ſed in obligatione verbo-
rum habemus expreſſum, ꝙ ſi quidem venit certum, agitur cer-
ti condictione ex ſtipulatione. Si incertum, agitur actione ex ſti
pulatu, ⁊ ſic denominatur a contractu.vt Inſtitu.de verborum
obligationibus.in princip.⁊ l.ſi quis certum, ſupra ſi certũ peta
tur. Ita in propoſito ſi in obligatione literarum venit certum,
agetur certi condictione ex literarum obligatione. Si venit in-
certum, agetur actione quadam que denominabitur ex eo con-
tractu, vt puta actione ex literis; vel ex literarum obligatione,
vt ſic ſemper ex cõtractu agatur, non ex lege, vt dicta lege, actio
num genera.§.ex contractu.de actio.⁊ obligatio. Nec obſtat In
ſtitu.de lite.obliga.in principio, vbi dicit ex numeratione. Nam
ibi non producit actionẽ immediate ex lege, ſed cõfirmat, vel in-
ducit illum modum contrahendi verbis, ex quo oritur actio, vt
dictũ eſt. Aliud exemplũ eſt in ſponſalitia largitate, que eſt ho-
die ſpecialis contractus, vt in authen. vt ſponſalitia largit.⁊ in
principio.C.de dona.ante nup.authen.eo decurſum. Dico quod
agitur actione ex ſponſalitia largitate, vt dicto.§.ex contractu.
10 Et idem dico, † vbicunqʒ conſuetudine.vel ſtatuto induceretur
q aliquis nouus contractus, vt agatur actione, que naſciť ex con-
tractu, vnde ex contractu feudi inducto ex cõſuetudine dicerem
agendum eſſe actione feudi ſeu ex feudo, quod idem eſt. Et ita in
telligo hanc materiam. Et ſecũdum predicta vides quod ad ar
borem Ioannis eſſent addende alique actiones quas dimiſit.
11 † Predicta vera, quãdo ex lege inducitur actio ciuilis. Nam ſi
r inducitur actio criminalis, non debet dici cõdictio ex lege,[r] ſed
accuſatio ex lege. Nam crimina non puniũtur per actionem, vt
Inſtitu.de publicis iudicijs. in principio. ſed condictio ex lege
eſt actio, ergo non datur ad puniendum crimina. Illi ergo di-
cunt, quod damnatus criminaliter ex forma ſtatuti eſt damna-
tus condictione ex lege, falſum dicũt. Dixi plene in l.infamem.
12 infra de publi.iudic. Secundus principalis † caſus eſt, quando
lex obligationem inductam declarat, ⁊ tũc aut declarat eam in-
ductam ex equitate alicuius certe legis, aut ex equitate in gene-
re. Primo caſu agitur in factum actione, vel vtili actione deſcen
s dente ex illa l.[s] ſcilicet cuius equitatem reſpicit.exemplum[t] ſu-
pra ſi qua.pau.fe.dica.l.penultima, ⁊ in actione in factum, ⁊ vtili
Aquili.l.item ſi obſtetrix.ſupra ad legem Aquiliam.⁊ per mul-
tas leges illius tituli.⁊ in l.qui ſeruandarum.§.primo, ⁊ ſecũdo
⁊ tertio, ſupra de preſcri.verb. Et ſic põt intelligi lex, quoties.
infra de preſcrip.verb.ſecundum vnum modum legendi ibi po-
ſitum. Quandoqʒ declarat lex obligationem ſubeſſe ex equitate
in genere.⁊ tunc aut ex delicto, aut aliter. Primo caſu ſi quidez
ex aliquo delicto nominato agitur actione in factum, vt infra de
fal.l.qui nomine.⁊ infra pro ſoci.l.nec quicquam. Si vero eſt de-
lictum nominatũ,[u] tũc ſi quidem cadit in dolũ habet locum actio
de dolo, vt l.ſecũda.C.de dolo.⁊ ſupra de dolo.l.prima. Si vero
cadit in culpam, agitur actione in factum, vt C.ad exhiben.l.ex-
hibitionis.⁊ infra de preſcrip.verb.l.naturalis.§.ſʒ ſi dedi. Se-
cundo caſu quando agitur aliter quam ex delicto,[u] ⁊ tunc aut iſta
obligatio eſt ad reddendũ quod quis accepit, ⁊ tunc agetur con
dictiõe ſine cauſa.l.ſi ⁊ me ⁊ Titium.ꝟ.ſi cer.peta.⁊ l.ſi eũ ſeruũ.
eo.tit. Aut principaliter ad dandum, ⁊ tunc ſi quidem iſta obli-
v gatio[v] oritur ex aliquo geſto verbis, ⁊ habet locũ actio preſcri.
verbis, que largo modo poteſt dici in factũ, vt infra de preſcrip.
verb.per totum. Si vero ex aliquo geſto per aliquod factum, ⁊
tunc habet locũ actio in factũ, cuius tenor receptus eſt in varijs
articulis iuris.l.ſancimus.C.de ſacroſanctis eccleſijs. Tertius
13 caſus principalis eſt, † quando lex confirmat obligationem in-
ductam, ⁊ tunc quãdoqʒ lex confirmat obligationẽ directo diſpo
nendo in eam, ⁊ tunc non oritur actio ex lege, ſeu condictio, ſed
oritur ex ipſa obligatione, vel contractu, vt ſupra dixi ⁊ ꝓbatur
x in l.legitima.[x] de pact.⁊ infra de verb.ſignifi.l.lege obuenire. Si
vero non diſponit directo in ipſam obligationẽ, vel cõtractum,
ſed ob ipſam, vel propter ipſam, tunc habet locum condictio ex
lege, vt l.ſi quis argentũ.C.de dona.⁊ l.j.C.de ſuffra. Nõ enim cõ
firmatur ibi pactuʒ donationis directo, ſed propter pactum lex
producit actionem. Cõtra predicta facit.C.de arbi.l.ne in arbi-
tris.vbi dicitur agenduʒ eſſe in factum, vel condictione ex lege,
vel vtili in rem, prout facti qualitas poſtulauerit, ⁊ tamen lex ibi
inducit ſeu confirmat obligationẽ. Pro cuius declaratione de-
bes ſcire.quod illa lex ponit vnũ caſum, quãdo partes ⁊ arbitri
iurauerunt, ⁊ tũc agitur actione in factũ non generali, vt gl.ibi
dicit.ſed in factum ex iureiurando. Nam partes videntur iura-
re id eſſe verũ quod arbitri dixerint, merito non agitur condictio-
ne ex lege: q2 nõ inducitur noua obligatio.⁊ ita videtur ibi ſen-
tire Marti.[i] Sil.poſtea ponit alium caſum quando partes non
iurauerũt, ſed arbiter ſolus, tunc cõpetit condictio ex lege, q2 ex
illa induciť vtilis in rem, de qua ibi loquiť,[i] ideo non facit ad pro
poſitũ, q2 actio in rem non preſupponit obligationem. Nos aũt
hic loquimur, qñ ex lege inducitur obligatio. Et per hoc etiam
y apparet[y] quod tractatus vtilis actionis, que datur ei, cui eſt actio
ceſſa, vel que datur nobis ex contractu alterius, nõ pertinet ad
hunc tractatũ. Nam illa eſt ſimpliciter datiua, non ex obligatio
ne, nos autem hic loquimur quãdo ex lege inducitur obligatio.
14 ¶ Vltimo quero an iſta † actio poſſit cum alia concurrere. Re
ſpondeo quod ſic.tex.eſt in l.quoties infra de actio.⁊ obli.⁊ ideo
tex.hic dicit eadem lege, quia ſi alia lege oriretur, nõ impediret
* hanc oriri.*[l] Hic videtur tex.ꝙ condictio ex lege non concurrat
cum alia. Sed cõtra.C.de peti.hered.l.fin.§.quod ſi petitor.ibi,
negotiorum geſtorũ, vel ex legis condictione. Sed dic, ꝙ ibi nõ
cõcurrũt in eodẽ caſu: ſed vna datur in vno, altera in alio. Quia
ſi ille tibi ſoluit nomine veri heredis, tũc habet negotiorũ geſto
rum actionẽ.ꝟ.de neg.geſt.l.ſoluẽdo.non aũt habet condictionẽ
ex lege. Si aũt ſoluit nomine ſuo proprio. Aut poſſidebat bona
fide, ⁊ tunc habet vtilem negotiorũ geſtorũ, non aũt condictionẽ
ex lege.vt ꝟ.de peti.hered.l.ſi quid poſſeſſor.ꝟ.de reli.l.at ſi quis.
Aut poſſidebat mala fide, ⁊ tunc videbať ſibi non dari repetitio
nem, q2 donare videbatur ſciens ſe nõ teneri: q2 cum hoc facie-
bat contemplatione debiti quod extabat volens illud liberare,
ſolũmodo ſibi dabatur retẽtio, non aũt repetitio de iure ſuo.vt
ĵ.de ſolutio.l.ſi cũ aurũ.ꝟ.de peti.heredi.l.ſi quid poſſeſſor. Et
per illam l.finalem.§.quod ſi petitor.C.de peti.heredi.introdu
ctum eſt ſibi remediũ repetitionis que ſibi datur. Et quia illud
introductũ eſt per legem iſtam habet locũ cõdictio ex lege, ⁊ nõ
* actio negotiorũ geſtorũ.⁊ ſic cõcordat ſecundum Iac.Butri.*
Et ſic hec eſt multum bene examinata.

ADDITIONES.

a ALEX. ¶ Si obligatio. Sed quid differt cõdictio ex lege, ⁊ ac-
cuſatio ex lege, vide glo.ſing.⁊ ibi Bal.in l.ſi.C.de litig.
b ALEX. ¶ Obligatiões. Vtrũ verba preſentis tpis poſita in l.
inducanť ad futura? vide Bar.in l.omnes populi.de iuſt.⁊ iure.
c ALEX. ¶ Agendi. Vtrum ex diſpõne legis oriatur ius agẽdi?
idem dicit Bald.in l.ſi.§.preterea.de iure do. Quandoqʒ autem
lex noua diſponit circa principale factum roborando, ⁊ actio na
ſcitur ex illo facto.ar.l.ex placito, de rerum permu. Aut actio-
nem inducendo, ⁊ oritur condictio ex lege, vt l.ſi quis argẽtum.
de donatio. Quandoqʒ lex noua diſponit circa acceſſoriũ, ⁊ tũc
non inducit obligationem,[l] ſed iudicis officium, vide ibi, ⁊ adde
Bald.in rub.C.eo.
d ALEX. ¶ Permittit. Vide Bal.in rub.C.eo.qui aliter loquiť.
e ALEX. ¶ Hereditatem. Adire eſt ius.nõ facultas, ⁊ an ei preſcri-
bať.vide, quod ſingulariter ſcripſi in l.ſuum.C.de iure delib.poſt
Bar. Adde an iuri adeundi preſcribatur. Bal.cõſi.xiij lib.iij.
f ALEX. ¶ Oppo. Adde Bar.in l.ſocietatem §.arbitrorum.in
verſi.quero quo iure ſententia arbitrorum.ĵ.pro ſocio.
g ALEX. ¶ Videndũ. Vide Bar.aliter dicentẽ in rub.C.eo.⁊ in
auth, dos data.ad fin.C.de dona.ante nupt.in verſi.ſi affirmãdo,
ſemꝑ cõpetit iudicis officiũ, ⁊c. Adde Bart.idẽ tenentem in l.j.
in prin.

in prin. ſ. ſi quis ius di. ⁊ Bart. in l. j. §. ait pretor. ſ. de poſtu. ⁊c.
h POMA. ¶ Iudicis. Uide Fely. in c. exceptione. de excep. verſ. demum ſcias. Iaſon. in l. ſi ſoror. C. de colla. Cepo. cõſil. xij. in fin. Barb. conſi. j. in primo volu. Iaſon. in l. ea demũ. C. de colla. Ui de Alexan. conſi. l. ij. volu. ⁊ Fely. in c. ij. ad fi. poſt Panor. ibi, de offic. iudici. ordi.
i ALEX. ¶ Directo. Adde bonum tex. ⁊ ibi Bart. in l. metum §. ſed ꝙ pretor. ſupra quod met. cau.
k ALEX. ¶ Iudicium. Ut j. commo. l. j. in prin.
l ALEX. ¶ §. pretor. Quod idem ſit, vide Bar. per illum tex. in l. Adriani. C. de here.
m ALEX. ¶ Uidendum. Per Bal. in rub. C. eo. Sed an condictio ex l. detur pro facto, vide Bal. in d. l. ex placito. in ix. queſt.
n ALEX. ¶ Dicunt. Contrarium tenet Bart. in dicta l. prima, ⁊ infra de pub. iud. l. prima.
o ALEX. ¶ Emphyteuſis. Et adde ꝙ cõdictio ex lege, quandoqꝫ concurrit cum alia ex diuerſo capite. l. quoties. de actio. ⁊ oblig. ⁊ ibi gl. ⁊ no. Bal. in rub. C. eo.
p ALEX. ¶ Dicit. Sed Bal. in rub. C. eod. tenet opi. glo. ⁊ doct. contra Bar. ⁊c.
q ALEX. ¶ Ubicunqꝫ. No. ⁊ adde Bart. in l. omnes populi. de iuſti. ⁊ iure. in v. queſtio. prin. ⁊ in l. j. de pub. iudi. ⁊ Bal. in rub. C. eodem. vbi tenet ꝙ agatur condictione ex moribus. Sed Bal. in l. ij. C. quando lic. ab emp. diſ. tenet, ꝙ non oriatur actio ſui nominis ex feudo, ſed condictio ex l. vel preſcriptis verbis, ⁊ feuduz eſt contractus innominatus, vt no. Bal. in rub. C. de re. per. ⁊ ad Bar. hic an ex conſuetudine vel ex moribus vel ex ſtatuto oriatur condictio ex l. vide Bal. in l. ex placito. in decima queſtio. C. de rerum permu. ⁊ Bar. in l. de quibꝰ. in fine de legi. ⁊ adde Bal. in l. fi. C. de legi. ⁊ Barto. in l. omnes populi. in quinta queſtione prin. ⁊ in dicta l. de quibus. ad fin. ſupra de legi.
r POMA. ¶ Ex lege. Adde ꝙ in criminalibus, proprie dicit accuſatio. gl. in l. fi. in verſi. recipiat. in fi. C. de litigi. declarat Ang. in l. ſi quis id quod. ff. de iuriſdictio. om. iudi. Alexã. in l. viro. in prin. ff. ſoluto matrimonio.
s ALEX. ¶ Ex illa lege. Not. per actionem in factum. de qua plene per doc. in l. ex placito. ⁊ ibi Bal. de rerum permu. ⁊ quid differat a condictione ex lege, ⁊ an ſit datiua, vel natiua.
t POMA. ¶ Exemplum. Uide Iaſo. in §. actionũ. Inſtit. de act.
v ALEX. ¶ Obligatio. Hic adde Bar. in rub. de preſcrip. verb.
x ALEX. ¶ Legitima. Adde Bar. in d. l. legitima.
y ALEX. ¶ Apparet. Sed que actio oriatur ex ſtatuto vel conſuetudine, vide Bar. in l. ſi duo. §. ſi quis iurauerit. ſ. de iureiu.

De condictione triticaria. Rubrica iii.

¶ Glo. continuat rubricam ad precedentia. dic vt in ea. ⁊ querit quare appelletur triticaria. dic vt in ea.

LEX PRIMA.

1 ☞ Si certum petatur, non eſt proprium nomen actionis.
2 Condictio triticaria quare non competat pro pecunia numerata, ſed pro alijs rebus ſic.
3 Fratres minores accipiunt omnes alias res, preter pecuniam numeratam.

a QUi certam. [a] Hec cõdictio locum habet pro omni re, excepta pecunia numerata, ſiue certum, ſiue incertum, ſiue dominium, ſiue poſſeſſio petatur. h. d. Primo
1 † queritur vtrum ſi certum petatur, ſit propriuz nomen actionis? Certe non, vt ſ. ſi cert. peta. dixi
2 in rub. ⁊ in l. certi cõdictio. in princ. ¶ Secundo quero, † quare hec condictio non competit pro pecunia numerata, ſed pro alijs rebus ſic. Poſſemus forte dicere, ꝙ ille qui induxit hanc condi-
3 ctionem fuit frater minor † qui omnes alias res accipiunt preter pecuniam numeratam. Et licet iſte ordo tempore illius legis non fuerit, erat quidam philoſophus, qui erat talis condi-
* tionis ꝙ pecuniam reſpuebat. * Iuxta l. profeſſio. de mune. patri. lib. x. C. Uel verius iſta condictio fuit introducta ꝑ rebus, quarum eſtimatio variatur ſecundum tempora: quia precium rerum augmentatur ex tempore. j. de iure fiſ. l. non intelligitur. §. diui fratres. ⁊ l. pretia rerum §. nonnullam. j. ad leg. Falcid. C. de admini. tuto. l. lex, que tutores. Que autẽ recipiant eſtimationem intrinſecam, ⁊ extrinſecam, ⁊ in quibus creſcit, ⁊ decreſcit eſtimatio, vide in l. in hac. ⁊ l. fi. in fi. j. eo. ⁊ quod non poteſt cadere in pecunia, vt in ipſa habeatur eſtimatio intrinſeca, ⁊ ꝙ poſſit creſcere ⁊ decreſcere vide l. nũmis. ſ. de in lit. iuran. Et ideo cum eſtimatio pecunie non varietur de facili, ideo ad illam non
* porrigitur hec cõdictio. ita dicit Gul. de Cug. ⁊ bene. *

ADDITIONES.

a POMA. ¶ Qui certam. Uide Iaſo. in addi. ad Porcum Inſtit. de verb. oblig.
1 ☞ Condicere rem ſuam quando quis poſſit.
2 Condicere quando quis poſſit per hanc actionem vſumfructuz, vel aliam ſeruitutem.

§. Rem autem. Summaui cũ precedẽti. Uel magis proprie ad hunc §. ſumma ſic. Nemo cõdicit rem ſuã, preter quã a fure, ⁊ a violento poſſeſſore. poſſeſſionem vero ſuam amiſſam quilibet condicit. Ut declarem
1 hũc §. oppo. † ⁊ videtur, ꝙ idem ſit condicere dominiũ a fure, ⁊ condicere poſſeſſionem. Si enim habet dominiũ, quid aliud poteſt condicere, niſi poſſeſſionem nudam, cum ſemel dñs nõ poſſit amplius fieri dominus, vt de acq. poſ. l. iij. §. ex pluribus. Inſtit. de leg. §. ſi quis rem. ⁊ C. de legat. l. ꝑprias? Pro cuius declaratione debes ſcire, quod contra furẽ ⁊ contra violentum poſſeſſorem eſt inductũ, ꝙ dominus condicendo petat rem ſuã ſibi dari oportere, vt Inſtitu. de actio. §. ſi itaqꝫ. ſed ſi non eſſet dominus, non poſſet petere ſibi dari oportere, ſed ſolũ ſibi reſtitui. Et hic poſſet eſſe vnus intellectus ad hunc §. vel aliter, ⁊ melius. Debemus cõſiderare cõdictionem ex parte actoris ⁊ ex parte rei, ſed ex parte actoris condicit qs rem, hoc eſt, poſſeſſionẽ ratione dominij rei, quod eſt apud actorem: ⁊ hoc nõ poteſt fieri niſi cõtra furem, raptorẽ ⁊ violentũ, vt hic, ⁊ ſupra, vſufruc. quemadmodũ ca. l. vlt. ⁊ ſ. de cõdi. cau. da. l. pe. ex parte vero rei ſemꝑ condicitur poſſeſſio: qr ad aliud reſtituenduz non tenetur, niſi ad ipſam poſſeſſionem, cum nec poſſet aliud dare. l. ſcire debemus. §. fin. de ver. obli. Quãdoqꝫ vero ex parte actoris cõdicitur poſſeſſio, nõ qr dominus, ſed quia poſſidebat, ⁊ hoc cuilibet permittitur, vt hic, ⁊ ſ. de condi. indeb. l. indebiti. §. ſed ⁊ ſi nummi. tetigi vobis
2 in l. ſi quis nec cauſam. ſ. ſi cert. pet. ¶ Quero vtrum † vſumfructum vel aliam ſeruitutem quis poſſit condicere per hanc condictionem? Reſpon. ſiquidem ius vſuſfructus, vel aliud ius, eſt promiſſum, tantum hac condictione poteſt peti, vt ſ. proxime. Si vero eſt conſtitutum, non poteſt tunc condici, quia iam cõdiceret rem ſuam, quod non licet, niſi in caſibus hic expreſſis. Ita videtur intelligere glo. hic quod eſt notandum. Ultimo materiam condictionis poſſeſſionis vidiſtis plene in l. ⁊ ideo. §. Neratius. ſ. titu. ij.

LEX III.

IN hac. Gl. magna hic poſita eſt tota fundata ſuper l. iij. §. in hac. j. cõmo. ⁊ ideo ſoluz hic recitabo quantum pertinet ad declarationẽ text. materiã vero totam recitabo in d. l. iij. §. in hac. ⁊ h. d. Si tempore ſentẽtie vel tempore mortis res plurimi fuit, illud tẽpus inſpicitur, alias inſpicitur quãti plurimi fuit a tempore more. h. d. Primo ponit quando certũ erat quo tempore plurimi fuit. Secundo quando erat dubium. Secunda ibi, ſed etiam ἐν πλάτει. in tex. ibi, mortis tꝑs. Dic ſic, certũ eſt qd dictis tẽporibus res plurimũ valuit, ſed ſi dubitetur, inſpicitur quanti plurimi valuit a tempore more. ⁊ hoc ſequitur, ſed etiaz ἐν πλάτει, ⁊c.
* * Et ideo no. iſtam materiam ꝑ vſaticis, quia ſi facio vſaticum vnius ſextarij hordei domino directo ſoluẽdo in feſto beati Michaelis, ⁊ tunc ſextarium valet quinque groſſos, ⁊ non ſoluo ſibi tũc, ⁊ ita ſum in mora: in feſto autem omnium ſanctorũ forte valet decem groſſos: ⁊ in feſto Natiuitatis forte valet xiij. groſſos ⁊ tunc venit dominus directus, ⁊ vult, ꝙ ſoluatur: certe tenetur ſibi emphyteuta ſoluere quanti plurimi valuit a tempore more:
* ⁊ ita tenebit ſibi ad xiij. groſſos. * ¶ Oppo. ſi res extat, fruſtra tractatur de eſtimatione, vt lege fin. C. de fideicommiſſar. liber. glo. ſoluit ⁊ dicit, intellige quod hic res extabat, tamen debitor non poterat eã perfecte facere meam, vnde peruenitur ad eius eſtimationẽ. ⁊ hec eſt ſatis bõa. Uel potes dicere quod extabat tẽpore ſententie, tñ deceſſit ante factam executionem. Et hoc in primo reſpõſo huius legis. In ſecũdo vero reſpõſo deceſſit ante ſententiã. ¶ Secũdo dicit opp. hic quod qui tradit ſeruũ deterioratum, non liberatur. Cõtra. j. de ſolutioni. l. qui ſibi. §. j. glo. dicit liberatur ab actione prima, vt in contrario, ſed remanet obligatus actione de dolo, ideo non dicitur liberari. De hoc an actione prima liberetur glo. tractat plene in l. ⁊ eleganter. §. non ſolum. ſupra de dolo. ⁊ doct. C. ad exhibend. l. exhibitionis. Ego dixi vobis in l. Iulianus. §. j. j. de verb. obligat. ⁊ in d. l. j. qui ſibi. §. j. de ſolution. tangam infra commod. l. tertia. §. ſi reddita. ideo hic non inſiſto. ¶ Contra predicta oppo. ⁊ videtur quod libere-
a tur etiam ab actione de dolo. [a] Nam recipiendo rem deterioratam ſcienter videtur remittere. l. penulti. ſupra de condictione ob turpem cauſ. ⁊ l. ſecunda. C. quod metus cauſa. facit infra tit. j. l. centum Capue. Sol. dicit glo. not. hic vitium erat latens. ⁊ ſic recipiendo non videtur remittere. Uel dic, dicit gloſ. quod hic non dedit, ſed dare voluit. Simile in l. ſi ſtipulatus ſum damã. j.